



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

§. 1. De dissolubilitate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

tas est, quod sit ei auctor, ut moechetur. Aliter responderi potest, prædicta verba intelligi de dimissione quoad thorum, cuius fuerit actè facta mentio, non autem de dimissione quoad vinculum. Nam cum Christo moveretur quæstio à Phariseis de perfecta dimissione, qualis fiebat per libellum repudii, & hæc dimissio contineret quoque separationem à thoro & cohabitatione conjugis, & præterea potestatem ducendi aliam uxorem; Christus in sua responsione ita distinxit, ut alterum, scilicet separationem à thoro & cohabitatione, diceret esse licitum, sed ex causa fornicationis dumtaxat, non aliter; alterum verò diceret esse illicitum, & verum adulterium. Cuius responsionis prior pars continetur illis verbis, *Quicumque dimiseris uxorem suam, nisi ob fornicationem, scilicet peccat, quod subaudiendum, vel, quod utique non licet: posterior verò illis verbis, & qui dimissam duxerit, adulterat vel moechatur: ita ut particula, nisi, accipiatur quidem exceptivè, sed ad priorem partem responsionis dumtaxat pertineat, non autem ad alia sequentia.*

## § I.

De dissolutione matrimonii, rati non consummati.

1. Dissolvitur huiusmodi matrimonium per Religionis ingressum.
2. Per dispensationem summi Pontificis.

1. **C**eterum matrimonium ratum, non consummatum, inter fideles dissolvi posse per solemnem Religionis approbatam ingressum seu professionem, ab altero conjugum factam, etiam altero repugnante, patet ex cap. *Commissum* 16. sup. *De sponsalibus & aliis similibus*, Coac. Trid. Sess. 24. can. 6. manensque in sæculo post emissam professionem alterius (quam expectare tenetur) si continere nolit, iterum contrahere potest, cap. *Ex publico* 7. sup. *De conversis conjugat.* Ratio, cur dissolvi tunc matrimonium possit, licet sit Sacramentum, est, quia repræsentat unionem Christi cum Ecclesia tantum per gratiam, non etiam per charitatem & naturæ conformitatem: ideoque cum illa sit dissolubilis per peccatum mortale, etiam matrimonium, unionem illam repræsentans, dissolubile erit & imperfectum Sacramentum

Cum enim Sacramentum matrimonii primò significet conjunctionem Christi cum anima, per gratiam: secundò conjunctionem Christi cum Ecclesia, per charitatem, tertio conjunctionem Christi cum Ecclesia, per naturæ conformitatem: & ex his significationibus primam dumtaxat habet matrimonium, ratum, non consummatum, quippe per quod conjugati nondum sint perfectè duo in carne una: non est perfectum Sacramentum, quoad omnem significationem, sed imperfectum, & dissolubile.

Non obstat illud *Quos Deus conjunxit, homo non separet*: quia intelligitur de matrimonio consummato, non autem de rato tantum.

2. Secundò, dissolvi potest per dispensationem summi Pontificis, prout constat sæpe ex gravibus causis dispensasse, vide Navar. in *Manuale* c. 22. n. 21.

Cur autem non æquè dissolvatur per Ordinis sacri, vel etiam Episcopalis susceptionem, atque per professionem Religionis approbatam, ratio est hæc, quia Ordo sacer & status Episcopalis non pugnat ex natura sua cum statu conjugali & usu matrimonii (prout patet in Sacerdotibus & Episcopis Græcis) sicut Religio, quæ est mors quædam spiritalis, consistens in totali rerum omnium temporalium abdicacione.

## § II.

De dissolutione matrimonii quoad thorum.

1. Casus, quibus hoc modo dissolvitur matrimonium.
2. Casus, quibus non dissolvitur.

1. **C**ertissimi porro Juris est, matrimonium ratum & consummatum posse etiam inter fideles dissolvi quoad thorum & cohabitationem, manente inter eos vinculo matrimonii, ut patet ex toto hoc Tit. Decretal. & definitur per Concil. Trident. Sess. 24. can. 8. Et quidem primò fieri id potest mutuo consensu, ad perfectiorem statum acquirendum: veluti si uterque voveat perpetuam castitatem, aut ad Religionem transeat, c. 1. & 2. sup. *De conversis conjugat.*

Secundò, fit hæc separatio, si alter conjugum spiritaliter fornicatus fuerit, nempe si

liba-